



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**De Rebus Iaponicis// Historica// Relatio,**

**Froís, Luís**

**Moguntiae, 1599**

**VD16 F 3085**

Residentia Vchimensis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64472](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64472)



eum euocare. itaq; ipse æger se in viam dat, vt quærat Patrem confessionis faciendæ causâ, ac tandem tertio die ad eum peruenit & à peccatis absolutus est.

Similiter & mulier vterum gerens huc illucq; discurrrens per dies tres vt copiam Patris habere possit, tandem in quendam incidit, & sortes animi sui deseruit. Alia exigua sua villa derelicta, in aliam ditionem, dum iter haberet, ad audiendam ibi rem diuinam, sensit se à serpente ictam, & tamen iter profecuta est, sacram ædè ingressa Missam concionemq;, nullo signo, vel vultu, vel voce doloris, quem tamen senserat acerrimum, dato, audiuit. Ea finita Patri humiliter, reuerenterq; totam rem patefacit. Pater mox antidotum adhiberi iubet, ilicò mulier sanatur, & lata, consolationeque plena ad suos redit.

---

RESIDENTIA VCHIMENSIS.

**P**OST institutam sodalitatem, Vchimenses Christiani, qui versantur in ditione Domini Sancij O-murani, tantum in pietate Christiana profecere, vt suo pte nutu, à nullo impulsî, excitarint ædem sacram amplissimâ, in qua quoties redeunt à piscatione margaritarum, semper aliquas Beatiss. Virgini offerunt. Quorum simplicitatem, sincerumque pedus respiciens benignissima mater, non desinit etiam eorum necessitatibus succurrere.

In his regionibus imbrium copia admodum exundant flumina. Vnde hoc anno quoddâ ripas suas magno furore egressum omnes gentilium domos ligneas, quæ proximè ripam constructæ erant, abripuit in mare,



mare, cum multorum hominum interitu. Deportati sunt & duo Christiani intra ædes suas inclusi diem noctemq; ad quinq; vel sex leucarum spatium. quid facerent in tanto vitæ discrimine? inuocant supplices matrem misericordiæ, votisque factis sibi conciliant: cuius & clementia impetrarunt, vt tandem domus hæretet in terra. ipsique incolumes euaderent.

In Toquitru quingenti supra mille fideles numerantur. Est ibi cæcus, qui vacat humanis defunctorum corporibus, varia loca obit doctrinæ Christianæ tradendæ causâ, ad longa itinera conficienda promptior, q̄ multi videndi facultate præditi. Christiani in ea ora, tantū vescuntur herbarū radicibus, glandibus, cœpis, cum aliquanto hordeo, cicerulis, & admodū modica oriza, & tamen in hac rerum omniū penuria læti viuunt & sani, rarò ægrotant, omnes fere ad extremam veniunt senectutem. Si morbo aliquo, vt febricula, tententur, cum medicus eis præter Deum sit nullus, perfugium suū habent ad Ecclesiam, in ea magna diei parte hærent, aquâ lustralem bibunt, se precibus cœlesti medico commendant, & cœniq; multi pro sua simplicitate & puritate sanitatem impetrant.

D E M E A C E N S I R E-  
gione.

**Q**uamuis persecutio nostrorū totos hos decem annos suum cursum tenuerit, tamen à tribus quatuorūq; annis quibus languescere cepit, res Christiana, diuina opitulante gratia semper vberiorē habuit progressū, Taiciq; & aliorū aduersariorū animus in Societatis homines equior existit. Ac superiore

Q 4                      quidem